EMINENTISSIMO PRINCIPI

DOMINICO

CARDINALI URSINO

GRAVINENSIUM DUCI &c.

IN CARDINALIUM COLLEGIUM RECENS COOPTATO

ORATIO

HABITA IN AULA COLLEGII NEAPOLITANI SOCIETATIS JESU

A FELICE DE DEO

EX EADEM SOCIETATE

RHETORICES PROFESSORE.

NEAPOLI MIↃCCXLIII.

TYPIS STEPHANI ABBATE.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

O R A T I O.

SI quemadmodum praeſentia haec tua, Princeps Eminentiſſime, in locum hunc ſingulare ornamentum, ac majeſtatem hodierna luce invexit: ſic tribuere ſenſum aliquem poſſet, vociſque uſum mutis hiſce, atque inanimis parietibus; nullus, te praeſente, nullus profecto eſſet aedium iſtarum angulus laetitiae ac ſuaviſſimae voluptatis expers: nullus, qui ſuam apud ſe laetitiam tacitus contineret. Agnoſceret domus haec univerſa, atque incredibili benevolentia complecteretur nobiliſſimum ejus Familiae germen, cujus familiae munificentiâ aucta, ſtabilita, (1) exornata in hanc venire potuit, quod ſine invidia dixerim, honeſtiſſimam amplitudinem. Agnoſcerent hae potiſſimum Gymnaſii hujus Exedrae Alumnum ſuum; ſimulque oſtenderent, quas ipſe quondam auditor aſſiduus bonarum Artium ſedes coram adiveris;

(1) Innuimus Beatricem Urſinam, cujus eximia fuit in Societatem univerſam benevolentia, atque in hoc Neapolitanum Collegium beneficentia ſingularis. Extat apud nos in Templo Dom. Prof. perpetuum grati animi monumentum, quod Majores Noſtri Sepulcro Principis Matronae inſcribendum curaverunt.

Digitized by Google

ſimul jure optimo profiterentur, nihil ſibi praeſtantius fieri, atque optabilius potuiſſe, quam quod ſuccreſcens illa in hanc ſpem pueritia hic olim dici poſſet exculta literis, atque ingenuo Muſarum lacte enutrita. Verum, quoniam locus ipſe, in quo verſamur, nullam emittere vocem poteſt; hoc tamen accidit opportune, ut is Oratori locus pateat ad dicendum, qui haec a te, atque a majoribus olim tuis collocata apud nos beneficia non tam in animum revocat, quam prope in oculis, conſpectuque conſtituit. Dum enim iſta inter dicendum quodam modo intuemur, quo nos interim animo commemorare laudes tuas, quantoque ſtudio tibi in Cardinalium Collegium recens cooptato tantam hanc decoris, atque ornamenti acceſſionem aequum eſt gratulari? An, ſi vim omnem ingenii, omnemque Eloquentiae copiam in tuis laudibus collocemus: ſi fateamur, nulli, quam nobis jucundius accidiſſe, quod cetera ornamenta tua ampliſſima haec Dignitas conſecraverit; aut illa minus debita laudatio, aut nimia haec videri poterunt gratulationis officia, quae Tibi, quae a nobis, quae hoc potiſſimum loco perſolvuntur? Accedit ad haec conditionis tuae praeſtantia: accedit tenuitas rerum noſtrarum: quae duo omnem praeterea referendae gratiae facultatem penitus interdicunt. Quare quaecumque haec noſtra eſt grati animi ſignificatio, poſita in commendatione Virtutum, atque in gratulatione felicitatis, eo impenſior ſit oportet, quod, cum nihil non debeamus, id tamen unum Principi,

Digitized by Google

ac ſummo Viro privati homines, modiciſſimaeque fortunae poſſumus impertiri. Jam vero quo te potiſſimum nomine gratulemur in ſedem hanc Dignitatis nuperrime exceptum? An quod gradum illum attigeris, qui uno ceterorum apice ſuperatur? At alii ſane multi commune hoc tecum habent, utcumque eximium, pulcherrimumque ornamentum. An quod parem huic faſtigio virtutem attuleris, animique praeſtantiam? Verum, ſi mea in his finibus oratio ſubſiſteret, quamquam egregiae laudationi ſpatium ſatis amplum, & quaſi aream definirem; tamen, quae magna in te ſunt, recenſerem, omitterem, quod ſingulare. Singularis illa eſt, Princeps Eminentiſſime, tibique omnino debita commendatio, quod, quam afferri oportebat eximiae Dignitati parem, ſpectatiſſimamque virtutem, hanc in aetatis flore attuleris, hanc ex florentiſſima conditione fortunae, hanc denique ex eo vitae inſtituto, quod longe ab hujus aditu Dignitatis abeſſe videbatur. Dum interim argumenta laudum tuarum, noſtraeque gratulationis his de fontibus delibabo, quos partim aetas, partim fortunae amplitudo, vitaeque conditio dicenti aperiet: ſic velim ea, quae dixero, accipias, ut meis quidem dicta verbis, confirmata tamen intelligas conſenſione ſumma, conjunctiſſimiſque ſtudiis horum omnium, quibus commune hoc domicilium, atque in omni erga te officio, gratique animi ſignificatione, arctiſſima eſt conjunctio voluntatum.

Ac primum quidem, quod ii votis omnibus opta-

Digitized by Google

re ſolent, qui ſummos viros laudare inſtituunt, ut nullam aetatis partem in eorum commendatione diſſimulari oporteat; & quem apud illos vitae curſum invenerint, eumdem tenere ipſi in dicendo poſſint: hoc mihi ad orationis copiam, ac dignitatem obtigit cumulatiſſime, dum Principis ejus viri laudationem ingredior, cujus non incrementa modo, progreſſioneſque virtutum, ſed rudimenta ipſa, ac primordia aequiſſimum eſt commendare. Etenim, ſi relegam aetatem illam, qua Principis Optimi formari animus coepit; ſi rationem omnem traditae Inſtitutionis diligenter expendam; nullus dubitaverim affirmare, ineſſe quorumdam animis miram quamdam alacritatem; quos, quoniam ſuae ſtatim indolis vim, praeſtantiamque ſignificant, minime deceat inertibus excitare ſtimulis, aut vulgari aliquo experimento inſpicere, ac deprehendere. Quemadmodum incluſae nidis Aquilae, vel dum implumes, parvaeque ſunt, (2) produnt ſe tamen ſingulari indicio generis praeſtantiſſimi: gaudentque invaleſcentem oculorum aciem non in exiguum lumen aliquod, ſed in Solem ipſum ſtatim conjicere; quo ejus jam inde ſideris conſpectui aſſueſcant, cujus, adjectis deinde, confirmatiſque alis, affectare audeant vicinitatem. Revoces, quaeſo, in animum, Cardinalis ampliſſime, vocem illam, qua ſummam inſtitutionis

(2) Plinius Nat. Hiſt. lib.X. cap. III.: *Haliaeetus tantum implumes etiamnum pullos ſuos percutiens, ſubinde cogit adverſos intueri Solis radios: & ſi conniventem, humectantemque animadvertit, praecipitat e nido, velut adulterinum, atque degenerem: illum, cujus acies firma contra ſteterit, educat.*

Digitized by Google

tionis tuae penitus imbibiſti, nihil aggredi, nihil moliri juſſus, quin ſedulo ante deliberares; nihil deliberare, quin expenderes accuratiſſimè, (3) Puero liceretne illud optimo, atque integerrimo: tum deceretne idem honeſtiſſimo loco natum: num denique provido, ac rerum ſuarum minime negligenti expediret. Haec ſi in animum revoces, intelliges apertiſſime, quantam de te, illo in ipſo pueritiae flore, ſpem excitaveris, cui haec tradi potuerint rudimenta virtutis, in quibus provectior aliorum aetas apicem ſibi, modumque ponit abſolutiſſimae diſciplinae. Quae enim accipi honeſtior inſtitutio? aut quid interim eſſe potuit viſu, adſpectuque jucundius, quam ipſe hic tenaciſſimus inſtitutionis ſuae, atque aſſueſcens puer honeſtatem in re prorſus omni habere ducem; cujus praeterea lateri perpetuo haereret gemina illa addicta cuſtodia, hinc generis ſui, hinc providentiae admonitio? Huic ſi turpe ſe aliquid, vetitumque ingereret; videres refugientem illico animum, ac ne quid ſibi adhaereret flagitii, exhorreſcentem. Hunc ſi ea ad ſe rerum ſtudia, curaeque accerſerent, quae, ut nihil invehant turpitudinis, aliquid tamen adimunt dignitatis; agnoſceres infixam pectori, praeſentemque memoriam generis praeſtantiſſimi, cujus tacita quadam voce admonebatur, ne quid infra nominis dignitatem Urſinae Gentis puero aliquando permitteret.

(3) Accepimus, ſic Principis Optimi pueritiam formari coeptam, ut expenderet in rebus ſingulis, num licerent, decerent, expedirent: quae tria ad recte deliberandum maxime eſſe opportuna, monuit Divus Bernardus de Conſid. ad Eugen.

Google

ret. Hujus denique animo, ſi neque turpes illae, neque indecorae, inanes tamen, leveſque nugae adblandirentur; deprehenderes inductam jam inde in puerile pectus earum rerum ſatietatem; in quibus non tam uſuram ponere, quam jacturam ſubire temporis minime expediret. Quare cum alias Plato affirmaverit jacere vulgares animas, ac pecudum ritu humi ſe continere: contra nobiliores alias illuſtrium virorum animas quodam ſe veluti alarum praeſidio (4) provehere in altum poſſe, Caeloque inſerere; ſi hunc mihi dicendi modum liceat uſurpare; dixerim ſingulari quadam vi, praeſtantibusque alis inſtructam animam Principi huic viro obtigiſſe, qui primulam aetatem ipſam in abditiſſima virtutum adyta, tantaque celeritate provocavit. Quibus animi ornamentis cum affuſa genis gratia, frontique indita liberalitas, cum jucundiſſima quaedam ingenii feſtivitas, morumque ſuavitas adjungeretur; ſic praecocem illam, quam nuper dixi, agendi maturitatem in puero temperabant, ut ejus conſuetudinem nec faſtidire aliquando ſit viſa aequalium aetas, & majores ipſi, grandioreſque natu ſtudioſiſſime affectarent. Neque vero deſcripta haec in puerili Principis animo modeſtioris vitae lineamenta, ſua ſe tantum venuſtate, & gratia commendabant. Inerat illis

(4) Plato in Phaedro, hac de re fuſiſſime philoſophatus, haec addit: Τόδε θεῖον, καλὸν, σοφὸν, ἀγαθὸν, καὶ πᾶν, ὅ, τι τοιοῦτο· τούτοις δὴ τρέφεταί τε, καὶ αὔξεται μάλιστα τὸ τῆς ψυχῆς πτέρωμα, αἰσχρῷ δὲ, καὶ κακῷ, καὶ τοῖς ἐναντίοις φθίνει τε, καὶ διόλλυται...... Deinde inferius: ὁ μὲν οὖν μὴ νεοτελὴς, ἢ διεφθαρμένος, οὐκ ὀξέως ἐντεῦθεν ἐκεῖσε φέρεται πρὸς ἀυτὸ τὸ κάλλος, θεώμενος αὐτοῦ τὴν τῇδε ἐπωνυμίαν· ὥστε ὀυ σέβεται προσορῶν, ἀλλ' ἡδονῇ παραδοὺς, τετράποδος νόμῳ· &c.

Digitized by Google

illis gratiſſima quaedam futuri temporis ſignificatio: atque ab hujuſmodi pueritiae auſpiciis integrum unicuique fuit ornamenta illa virtutum multo honeſtiſſima, quae validioris aevi conditio pati poſſet, nec divinatione tantum, ſed certo, exploratoque judicio praeſagire. Longe enim alia virtutis, quam, quae arborum, conditio eſt: & cum (5) in his praefoecunda, ac ſubita ubertas deficientem vim omnem, ac brevi emorituram praenuntiet; contra, quos illa fructus uberrime, ac ſtatim profert, pignora quaedam ſunt diutiſſimae foecunditatis.

Quo loci mea cum Oratio venerit; indulgere ſi velim ingenio, quod tenue cum ſit, jacenſque, ac remiſſum, ipſa tamen rei dignitas erigit, atque exſtimulat; imitari Artifices poſſem, qui nacti aliquam loci, ac temporis celebritatem, pulcherrima ſimulacra proferre ſolent, quae domi, privatoque ſtudio diligenter expreſſerint. Principis Adoleſcentis imaginem, quam non ad oris, frontiſque habitum, verum ad animi ſpecimen, ac ſignificationem, tacitus apud me, diuque informavi, omnium hic in oculis conſtituerem. Nec ſatis video, an dignius quidquam hac majeſtate loci, ſolennique Conventu produci poſſit, quam juvenilis animi eo exemplo, eaque ſpecie depicti mores, qua nihil vulgo eſſe ſolet ab florentiſſima aetate iſta abhorrens magis, atque alienum. Quamquam enim adoleſcentia ſic

ſua

(5) Plinius Nat.Hiſt.lib.XVI.c.XXVII: *Omnia autem celerius ſeneſcunt praefoecunda. Quin & protinus moriuntur aliqua, Caelo foecunditatem omnem eblandito.*

Digitized by Google

ſua demum ſpecie , vultuque aptiſſimo proferri ſoleat , ſi libero, fluxoque habitu ſit ; ſi prodat animi impotentiam erectae frontis indicio ; ſuique arbitra (6) ac vindex, hinc manu frenos omnes excutiat pulcherrimae mediocritatis , hinc ad ſe chorum evocet (7) adſtipulantium voluptatum ; faceſſant haec tamen lineamenta, ne quidquam temere Principi huic adoleſcenti de iſto adoleſcentiae vultu , ſpecieque appingatur . Accerſendum exemplar eſt e Virtutum Sacrario : atque his demum coloribus fas eſt exprimere animum integerrimum , qui non aetatis licentiam , ſed temperantiae ſeveritatem depinxerint ; illam , inquam , temperantiae ſeveritatem , quam aetas haec omnium maxime refugit , atque averſatur . Etenim an eo in Principe veſtigium aetatis ullum licuit deprehendere , aut partem temperantiae deſiderare ullam , cujus non feſtinata impetu , ac poenitenda conſilia , (8) ſed omnis eſt rerum agendarum ratio diu , matureque expenſa ? Quem numquam abrepta aeſtu, ac ſeſe agens cupiditas temere impulit : ſed contra compoſitae animi affectiones iis incluſae ſunt, coërcitaeque finibus, quos moderatrix rerum omnium ratio conſtitueret ? Cui denique

(6) Ariſtoteles Rhetor. lib. II.cap.XII. extrem. hos juventuti mores attribuit: καὶ ἅπαντα ἐπὶ τὸ μᾶλλον , καὶ σφοδρότερον ἁμαρτάνουσι παρὰ τὸ χίλώνιον. πάντα γὰρ ἄγαν πράττουσι · φιλοῦσί τε γὰρ ἄγαν , καὶ μισοῦσιν ἄγαν , καὶ τἄλλα πάντα ὁμοίως .

(7) Idem ſub ejus capitis initium : καὶ τῶν περὶ τὸ σῶμα ἐπιθυμιῶν , μάλιστα ἀκολουθητικοί εἰσι ταῖς περὶ τὰ ἀφροδίσια , καὶ ἀκρατεῖς ταύτας .

(8) Macrobius in Somn. Scip. lib. I. cap. IIX. ex Plotino : *Temperantiae eſt nihil appetere poenitendum , in nullo legem moderationis excedere , ſub jugum rationis cupiditatem domare*. *Temperantiam ſequuntur Modeſtia , Verecundia , Abſtinentia , Caſtitas , Moderatio , Parcitas . Sobrietas , Pudicitia .*

Digitized by Google

nique nulla eſt inita cum voluptatibus conſuetudo; ſed & pacta cum pudicitia fides, & nihil modeſtiae detractum, nihil parcitati, ceteriſque virtutibus, quae conſtant nexu quodam inter ſe amiciſſimo, ac Temperantiam veluti ducem perpetuo comitantur. Quae omnia cum magna eſſe fateamini; rogare ſi quiſquam audeat, qua fide a nobis, quantaque auctoritate proferantur; conſulat is domeſticorum conſcientiam, ac fidem, quorum ille in oculis, uſuque aſſiduo verſatus eſt. Reponent, nihil domi, ac privatim auſum, quod non idem publice, pudore integro, atque incolumi dignitate, moliri potuiſſet. Appellet lectiſſimos ejus ordinis viros, quorum cum in hac, tum in Principe Terrarum Urbe familiaritatem ſtudioſiſſime excoluit. Teſtes erunt locupletiſſimi, florem illum juventae omnium oculos integerrimae honeſtatis luce perfudiſſe. Videat ipſam hanc oris tui, Cardinalis Ampliſſime, prope offenſam laudationis officio, permotamque conſtantiam. Agnoſcet continentis animi indicem verecundiam, quae tum denique hominum pectora laudum ſatietate, ac faſtidio penitus imbuit, cum illa ſatis longe ab omni labis contagione alienaverit. Verum, quoniam parcere aequum eſt huic ipſi ingenuo pudori tuo, diſtraham hanc, ut potero, minus tibi jucundam virtutum laudationem, interjecta aliquantiſper, atque interpoſita commemoratione Fortunae.

Quamquam, Fortunam dum nomino Principis hujus Viri, non unam, aut alteram nomino felicitatis partem, ſed rerum optatiſſimarum complexio-

nem, atque (ut patitur conditio mortalium) integram felicitatem. Atque hujus quidem prima veluti delibatio, & quaſi aditus fuit, quae prima naſcenti obtigit Familiae dignitas. Cujus vero familiae, boni Caelites, & quanta dignitas! Ea jam inolevit conſuetudo, lateque obtinet, ut arborum nomine, ac ſimilitudine familiae alicujus ſeriem, domeſticaque generis ornamenta aptiſſime deſignemus. Hoc itaque exemplo, ſi mihi ob oculos collocem Urſinae Gentis primordia, incrementa, progreſſiones, haeream neceſſe eſt in mirae Arboris contemplatione; quae quamquam intuenti jucundiſſima eſſe poſſit, defigit tamen animum, atque omnem prope ſenſum voluptatis intercipit admiratio. Stat Arbor iſta, haeretque radicibus ſuis, quae jamdiu quidem poſitae, (9) vigent tamen, ac ſuſtinent immenſam ſtipitis molem, ſua nec magnitudine laborantem, quae frequens eſt rerum maximarum conditio; nec, quae temporum labes eſt, diuturnitate confectam. Ramos longe gentium, lateque porrigit, ac protendit. Et cum innumeri ſint in praeſtantiſſimas gentium aliarum ſtirpes ab hujus exuberantia traducti ſurculi;

cum

(9) Franc. Sanſovin. de Fam. Urſina „ lib. I. a pag. IV. affirmat tum ex Ablavio, tum ex iis, quae deſcribi juſſit in Aula Tarentina Joannes Urſinus loci Dynaſtes, Familiam hanc „ multo ante inter Gothos floruiſſe, „ quam ad Valentiniani, atque Eudoxae tempora deveniretur: ſub haec „ deinde tempora in Italiam exceptam, „ ſtatimque a Placidia quamplura oppida in Umbris conceſſa in ditionem Mundillae Urſino, viro ab fortitudinis laude praeclariſſimo, quod „ is, Maximo Tyranno interfecto, Valentiniani mortem ultus eſſet. Alia „ inter Italos familiae hujus incrementa literis mandavere (ut idem Auctor eſt Sanſov.) Petrarcha, & Raphael Volaterr., cum res ſcriberent „ praeclare geſtas ab Urſino, ac Primieno circa annum Vulgaris Aerae „ IↃ. LXI.

Digitized by Google

(10) cum multae ſint huic viciſſim adjunctae ſtirpium aliarum propagines; dubitare quiſquam poterit, ex ſuo ne cenſenda ſit, an ex alieno foecundior: ſuoque ne in ſolo, an in peregrino felicius inoleverit. Verticis demum ſublimitate non modo ſaepiſſime gradus illos, qui maxime eminent inter humana faſtigia, occupavit: (11) non ipſa modo Regum ſolia attigit: primumque illum, atque unicum dignitatis apicem, in quo ſumma eſt inter homines ſanctitas nominis, atque imperii majeſtas collocata; ſed cum nullis jam apud nos finibus contineretur, pulcherrimam ſui partem, fructuſque integerrimos Caelo inſeruit, (12) excepturos inde mortalium vota, atque attributa ſolenni ritu Religionis officia.

Jam vero cum haec te, Princeps Eminentiſſime, majorum auſpicia in aditum quodammodo, ingreſſumque felicitatis deduxerint; quanta illa fuit, quae te deinde ſubſequuta felicitas eſt, tuiſque aucta, & cumulata ornamentis? Dicam confidentiſſime: quemadmodum una Gens tua laudes illas innumeras com-

(10) Commemorat has affinitates Chriſtophorus Scheiner Soc. Jeſu in Dedic. operis, quod inſcripſit Roſam Urſinam. En ejus verba „ *Quare hinc per Germaniam, Galliamque, inde per Hiſpaniam, omnemque Italiam illuſtri aut cognatione Regum, aut affinitate inclaruit: Bohemiae ſibi, Pannoniaeque Coronas devinxit: ultra Oceanum provecta Britannis Regibus, Sueciſque ſe, ac Danis inſeruit: Theſſalos, Graecoſque potentiſſimos olim Dynaſtas generi ſuo ſociavit.*

(11) Vid. Sanſov. lib. I. Vir. Illuſtr. Fam. Urſ. ubi ex Braccio XXXIII. ad aetatem ſuam enumerat Familiae hujus Cardinales. His multi deinde acceſſere. Neminem praeterea latet, quinque ex hac Familia Summos Pontifices extitiſſe.

(12) Extat Beneventi Sacellum D.O.M. Sanctiſque poſitum, quibus Urſina gens adhuc floruit, quos meminit Schein. loc. cit. ab his verbis „ *Atque ut ex his omnibus ſacro quodam ſilentio praeteream Adalbertos, Voluſianos, Joannes Traguri enſes &c.*

complexa eſt , quae derivatione aliqua ſui , familias bene multas illuſtrare potuiſſent ; ſic, quae tua , ac propria numerantur, etiamſi diſtraherentur in plurimos , aliaque ad alios pertinerent , honeſtiſſima tamen eſſet conditio ſingulorum . Alios enim Regum gratia erigit , ac ſubſtentat, quos tamen aequalium ſtudia ſaepe deſerunt , ſaepe etiam impetit aemulatio . Te nullus ideo remiſſius amare coepit , quod fueris inde a puero acceptiſſimus Regi Optimo , ac ſtatim inter Primores Aulae, deinde in eum ordinem (13) cooptatus , qui, ſi lectiſſimorum Equitum praeſtantiam ſpectes, florentiſſimus ; ſi majeſtatem Inſtitutoris, plane Regius ; ſi denique adjecta, atque attributa honoris inſignia , ſacer eſt , ac venerabilis . Aliis magna ex fortunis omnibus facultas eſt, tenue ex dignitate nominis ornamentum . Tibi & domus opulentiſſimae arbitrium , & cetera omnia cumulatiſſime obtigerunt , quae parem ſummis opibus dignitatem, atque amplitudinem praeſtare poſſent . Aliorum domi ſe fama continet ; aut certe illuſtrior apud ſuos eſt , quam apud exteros appellatio . Nomen vero tuum clariſſimum ceteroqui inter nos , atque immortale , cum hae finitimae nobis , tum divulſae etiam illae, ac procul poſitae regiones in communionem quamdam peregrinae majeſtatis accipiunt . Si enim recenſeat , ac veneretur Hiſpania Magnatum nomina ; te in his recenſet , ac veneratur . Si Pa-

res

(13) Intelligas de Equeſtri Ordine „ Carolo nuper inſtituto. „ Divi Januarii ab invictiſſimo Rege

res appellet Gallia: floremque illum oſtentet, ac proferat ex praeſtantiſſimis Gentis ſuae familiis decerptum quodammodo, ac delibatum; te appellat: in eo te florentiſſimo Principum Ordine oſtentat, ac profert. Si audiunt apud Venetos honeſtiſſime, quibus eſt in perpetuum generis ornamentum adjecta ab Stola aurea nuncupatio; tenes hunc ibi, tenet Gens tua univerſa immortalem nominis apicem, ac majeſtatis. Suis te demum Germania adnumerat Romani Imperii Principibus: ac te Roma nominat, dum alterum nominat ex Principibus, quos Pontificii Majeſtas Solii proxime patitur.

Mirantur fortaſſe alii, dum haec recenſeo, tam multa unius viri felicitatem complecti potuiſſe, & continere. Miror hoc potius, virtutem, cujus cum ſumma felicitate aut nulla eſſe ſolet, aut parum certe diuturna conjunctio, felicitati huic tantae non ſociari modo, ſed praeeſſe etiam, atque imperare conſtantisſime potuiſſe. Si enim divinus ille praeclarae cujuſdam Reipublicae Inſtitutor nihil eſſe opinabatur perinde efferum, atque imperio reluctans, quam hominem, cui laeta omnia, feliciterque ſuccederent; (14) an non eximia, atque inuſitata Principis moderatio dicenda eſt, qui quantum opibus, atque auctoritate poſſet, non peccandi licentia, neque multorum, ut ſaepe fit, injuria, ſed una erga omnes beneficentia ſignificavit? Qui ſua, majorumque

(14) Ut Plutarchus Opuſc. ad Princip. Inerud. refert, Plato a Cyrenaeis rogatus, ut Reipublicae formam ſuis legibus apud illos conſtitueret, recuſavit: eoſque dixit patiendis legibus minime idoneos, quod rebus admodum laetis, ac ſecunda fortuna uterentur.

Digitized by Google

que ornamenta , quorum crebra inter homines eſſe ſolet, atque impotens oſtentatio , ſic apud alios diſſimulavit, ut quantus ipſe eſſet, ignorare unus omnium videretur? Neque vero ſingularis hujus modeſtiae , animique continentiae propemodum incredibilis plura congeram argumenta , paratiſſima illa quidem , & cum genere diſſimilia , tum magnitudine admiranda; unum inſtar omnium profero, tam illuſtre ex ſeſe , tam exploratum omnibus , ac manifeſtum, ut neque illud ornare verbis , neque ullis dicendi praeſidiis oporteat confirmare . Rem itaque accipite omnium admiratione digniſſimam . Cum honores omnes , omnemque nominis celebritatem (quod optimus ille Philoſophiae Parens univerſe pronunciavit) ii vehementiſſime affectare ſoleant , quorum ſpectata in paucis nobilitas eſt ; (15) haeſit tantus hic , tantique generis Princeps in hujus limine dignitatis , ad quam eſt nuperrime accerſitus . Conſtantiſſime , inquam , diuque haeſit ; neque hanc modo eſt a ſe deprecatus muneris amplitudinem , ſed eo etiam nomine deprecatus , quod imparem ſe illi agnoſceret , neque ulla in re Chriſtianae Reipublicae confideret profuturum . Qua in cunctatione tua ſumma , Cardinalis ampliſſime , his tecum verbis Chriſtiana ipſa Reſpublica viſa eſt expoſtulare . Dabiturne , Princeps Optime , hoc etiam privatae modeſtiae , quod publicae utilitati ſubtrahitur ; ac nequid

(15) Ariſtot. Rhet. l.II. c.XV. de moribus Nobilium . *Εὐγενείας μὲν οὖν ἦθος ἐστὶ, τὸ φιλοτιμότερον εἶναι τὸν κεκτημένον αὐτήν· πάντες γὰρ ὅταν ὑπάρχῃ τι, πρὸς τοῦτο σωρεύειν εἰώθασιν.*

Digitized by Google

quid iſta offenſa doleat verecundia, ſimul omnium vota a ſumma ſpe, atque expectatione penitus excident? Imparem te muneri honeſtiſſimo profiteris. Itane vero? Vide quantam repulſae hujus invidiam in me conjicias, ſi tecum hac de re conſentiam; nec potius parem omnino affirmem ampliſſimae dignitati, quem eximia generis praeſtantia, quem indoles, moreſque optimi, quem praetergreſſa annorum moras agendi maturitas, quem denique in florentiſſima fortuna ſingularis animi moderatio tantopere commendat. Nihil ex te utilitatis in commune Religionis commodum profecturum affirmas. Mihi id vero, aut ulli praeter te mortalium perſuaſeris? Proderit tua haec mihi mentis, animique alacritas: proderit in magnis rerum momentis explorata prudentia: proderit ad praeſidium pietas, ad ornamentum majeſtas, conſpectus hic demum ipſe ad ſolatium ſingulare. Illud itaque fuerit eximiae virtutis tuae, dignitatem hanc nullo ambitu affectaſſe; fuerit ſemel atque iterum detrectaſſe, ingenuae verecundiae. Hoc jam meae intereſt felicitatis, in eo te Principum Ordine recenſeri, qui Catholici nominis auctoritatem, vel optatiſſima in pace, ac tranquillitate rerum augeant, atque exornent; vel contra vim hoſtium acerrimorum, ac perduellium impudentiam conſtantiſſime tueantur. Hac, inquam, vel tali voce aliqua, in eo rerum articulo, tecum agere viſa eſt Chriſtiana Reſpublica; aut hanc certe ejus vocem mutuari, mentemque induere viſus eſt op-

 timius

timus ille Chriſtiani Orbis Moderator, Sanctiſſimuſque Pontifex Benedictus Decimuſquartus. Is enim in frequenti, auguſtiſſimoque Patrum Concilio eximiam virtutum tuarum exiſtimationem, (16) quantumque ſibi ex te praeſidium Chriſtiana Reſpublica polliceretur, egregie, ſplendideque ſignificavit. Is deinde, cum literas mitteret humanitatis (17) officiique plenas, ſe nihilo plus benevolentiae erga te ſuae, quam tibi, tuiſque moribus tribuiſſe profeſſus eſt, cum in eo te gradu dignitatis ampliſſimae collocaret. Atque is rem demum omnem hac judicii, graviſſimique teſtimonii quadam veluti gemma conſignavit, Tibi, ne parum idoneus videri poſſes, id ipſum integerrimam anteactae vitae rationem praeſtitiſſe, quod aliis Eccleſiaſticae, ut ajunt, diſciplinae tirocinium praeſtare ſoleat.

Haec velim audiat, ſiquis fortaſſe de multis imperitus rerum, atque aeſtimator indiligens eam in animum opinionem, ſeu verius errorem induxit, ut arbitraretur, longe ab hoc aditu dignitatis abeſſe virum,

---

(16) Sanctiſſimus Dom. Noſt. Bened. XIV. his verbis Cardinalem renunciavit „ *Dominicum Urſinum Pronepotem ſanctae memoriae Bened. XIII. Clericali militiae jam adſcriptum, cujus vitam, indolem, & mores optime novimus. Speramus proinde, eum illuſtribus Fraternitatum veſtrarum exemplis perficiendum, Deo, & Eccleſiae fructuoſiorem in dies exhibiturum eſſe famulatum.* Ex Act. in Conſiſt. Secr. habito feria II. 19. Sept. 1743.

(17) Idem SS. Dom. Literis in forma Brev. datis ad Dominicum Cardinalem Urſinum die 23. Sept. 1743. *Dedimus non modo eximiis magni Patrui tui erga nos meritis, quam Tibi egregiis moribus plurimum commendato, ut in Sacrum Cardinalium Ordinem cooptareris .... Ac pro Eccleſiaſticae Vitae Tirocinio ſatis nobis fuit eadem tua Virtus, ſpectatiſſimaque morum maturitas &c.*

Digitized by Google

virum, cujus alio ſpectaret animus, ac ſuſceptum inde a puero vitae inſtitutum. Mea quidem ſententia, nihil ornatius, atque illuſtrius dici, aut excogitari poteſt, quam, quod Optimus iſte Princeps ex aliena illa vitae conditione virtutem attulerit, quam ſi affirmem dignitati huic tantae ſatis idoneam, parcius laudo, quam par eſt: ſi ad hanc quam maxime dignitatem factam quodammodo, excultam, atque enutritam; rem, ut eſt, pronuncio, nec modo crimen ex me omne, ſed ſpeciem ipſam indecorae aſſentationis abſtineo. Quo in loco, cum orationi meae ſatis tribuant auctoritatis, quaecumque hactenus commemoravi ornamenta virtutum; rem tamen omnem unius commemoratione Pietatis luculentius confirmavero; quod Optimo Principi & ea ſit ſingulari quodam, conſtantique ſtudio exculta virtus; & ejus potiſſimum divina quadam luce, ac caeleſti inauguratione virtutis, initiari oporteat viros illos, quos haec deinde, honoris eadem, ac ſpectatiſſimae ſanctitatis, inſignia decere poſſint. Etenim, cum Principis hujus viri in ea ſeſe munera vita omnis tribuerit, ut partem in Reges optime meritos obſequia obtinerent; partem Familiae, reique domeſticae adminiſtratio; partem populorum, quos in poteſtate, ac ditione tenuit, ſolicitudo; nulli tamen curandae rei majora ſtudia, nulli omnino ſunt ſanctiore fide attributa ſpatia, quam; quae ſibi Religionis officia vindicaverant. Quare ſi ea fuit ſapientiſſimorum hominum perpetua conſenſio,

Digitized by Google

ſenſio, (18) nullum eſſe inter mortales Templum, aut ſanctitate praeſtantius, aut majeſtate ſplendidius, quam ipſa virtutum hoſpitio conſecrata mortalium pectora; utinam permitteret ſe omnium oculis ingenuus ille Principis viri animus! Utinam intueri fas eſſet abditiſſimum illud Religionis Sacrarium, quod poſitum in penitiore ſinu pectoris integerrimi, ipſa etiam vivendi ratio nihil ab communi uſu abhorrens, altero quaſi velo obtento, ſubtrahit, ac ſubducit! Quid autem mirarer hic primum? aut quid ſanctius, atque ſincerius praedicarem? Expenderemne haerentem Principis animo, neque in tantae adminiſtratione fortunae convulſam aliquando ſententiam: nullius non rei jacturam flagitii vel umbrae ipſi, ac nomini poſthabendam? Hoc ſi expenderem, compellaret me ſuaviſſimus ille voluptatis, atque amoris ſenſus, quem ex rerum divinarum contemplatione ſaepiſſime delibavit; nec longe ab hominum, ut moris eſt, conſpectu, ac frequentia, ſed obſtrepente circum Aula, alioque ex alio rerum humanarum aeſtu proxime ingruente. Spectaremne ſingulare innocentiae ſtudium, cum multae interim, graviſſimaeque curae intercederent; morumque initam apud ſe quotidie rationem, ne quid labis

bis

(18) Demoſthenes adverſus Ariſtogitonem orat. I.: καὶ δίκης γε, καὶ εὐνομίας, καὶ αἰδοῦς εἰσὶν ἅπασιν ἀνθρώποις βῶμοι, οἱ μὲν κάλλιστοι, καὶ ἁγιώτατοι ἐν αὐτῇ τῇ ψυχῇ ἑκάστου, καὶ τῇ φύσει· οἱ δὲ, καὶ κοινῇ τοῖς πᾶσι τιμᾷν ἱδρυμένοι. In eamdem ſententiam ſcripſit Natalis Comes Mythol. lib. I. c. VII.: *Eſt omnium Templorum auguſtiſſimum pectus mortalium, fide, pietate, innocentia, ſanctitate, manſuetudine, pro pulcherrimis aulaeis inſtitutum, & communitum.*

Digitized by Google

bis ipſo vivendi uſu adhaereſceret? Verum, ſi hic diutius haerere velim, intuendam ſe mihi ingereret hinc ad divina Myſteria properantis alacritas; hinc animi inter haec obeunda demiſſio ſingularis: quae ambo eo ſunt in Principe illuſtriora, quod hujus fortunae viri praeſtantiae interdum ſuae plus aequo indulgeant; nec dubitent ad sacra ipſa, atque aras majores afferre animos, quam divinae res patiantur. Intuerer ne facilem illam in re prorſus omni, ſubitamque mentis in Deum converſionem; omniaque divino ductu, atque auſpicio inita, & conſtituta conſilia? At quamquam haec admirari aequiſſimum eſſet, intercederet tamen illico familiaris illa huic Principi, ac tamquam in more poſita conſuetudo, ſic ſingula adminiſtrandi, ut quo ex fonte felicitas profluit rerum omnium humanarum, hunc in fontem ingenua grati animi ſignificatione, ſua omnia revocaret. Adeo ſi ſcrutari ſinum omnem: ſi tacitos omnes, reconditoſque ſenſus rimari libeat; fateamur neceſſe eſt, Principem Optimum formaſſe jamdiu intus animum ad hoc ſanctioris vitae inſtitutum, quo illum divina conſilia, atque arcana quaedam Sapientiae vis nulli mortalium deprehenſa tum maxime provehebat, cum longius abducere videbatur.

Quamobrem, cum ea, Princeps Eminentiſſime, quae divinitus quodammodo exiſtunt, ac praeter omnem expectationem apud homines fiunt, florere diu, ac paria auſpiciis ſuis habere ſoleant in-

cre-

Digitized by Google

crementa ; fore auguror (auguror vero, an potius praeſentire animo videor, ac ſpe praeſumere ?) fore tamen auguror, ut qui divino potius nutu, atque imperio, quam humano ullo conſilio, gradum tenes primo, ac ſummo apici proxime haerentem, apicem illum ipſum aliquando attingas. Tum vero complectetur iterum Chriſtiana Reſpublica, quaſi evocatum e Superis, atque ad ſe redeuntem eximium illum moderatorem ſuum, digniſſimum omnis aevi, memoriaeque Pontificem Benedictum XIII., quem cum nomino, ſatis videor commendaſſe. Tunc incredibilis erit bonorum omnium exultatio, quod magno illi Patruo, in auguſtiſſimi nominis, atque imperii communionem ſucceſſeris, qui te amavit in paucis, cum propter ſanguinis conjunctionem, tum propter hanc, quae optima eſt animorum conciliatrix, quamque apud ipſum inde a puero ſignificaſti, virtutis praeſtantiam. Tunc ſibi denique Societas potiſſimum noſtra gratulabitur, quae longe plura ex te, ac majora accepit pignora benevolentiae, quam ut vereri poſſit, ne tibi ex altiſſimo illo Dignitatis faſtigio, tamquam e ſumma ſpecula, humana omnia deſpicienti, ipſa propter nominis, ac rerum ſuarum tenuitatem ex oculis evaneſcat.

Digitized by Google